CHRISTVS EXINANITVS

SIVE

DE CHRISTI DOM. CRVCIATIBVS

ORATIO

AD INNOCENTIVM X.


PONT. OPT. MAX.

HABITA IN SACELLO VATICANO

A CAROLO FRANCISCO DELVCA

E Societate IESV.

Ipso Parasceues die.








ROMAE, Typis Manelphi Manelphij. M. DC. XLIX.

SVPERIORVM PERMISSV.

Eminentiſs. & Reuerendiſs. Principi

IOANNI BAPTISTAE S. R. E. CARDINALI PALLOTTO.

Carolus Franciſcus Deluca Fel.



ANC breuiſsimam de immenſis Chriſti cruciatibus orationem, quam tenebris deſtinaueram, in lucem edo: vt nata Dei ſeruatoris è Sanguine, tua P.E. reſplendeat in purpura, quæ Regis diuini tincta canalibus, illuminatur. Reges olim ex attriti cruore piſciculi colorem ac pretium trabeæ cõparabant. Eccleſiæ verò principes, qui regibus æquiparantur, eò nobiliùs lucent in purpura, quò glorioſius eſt re-

gum Regis pretioſo ſucco, & penè viſceribus colorari, quàm ſpuma ſaliuaq. muricis purpuraſcere. Cum igitur E.P. hoc in te pluſquam regale decus corriuaueris è Chriſti venis: orationem hanc, quæ tuæ dignitatis aperit fontes, eo dignabere patrocinio, quo Societatem Ieſu mihi vita cariorem amplecteris. Cum præſertim operis ampliſsimi, imò etiam infiniti titulum præferat CHRISTVM videlicet EXINANITVM: qui contractus atq. contritus in lapillum eſt, vt exurgeret Vaticanum in montem, omneſque terras impleret, noua planè figura Rhetoribus incomperta rem Romanam augeret nõ amplificationibus, ſed decrementis. Vale.

ORA-

ORATIO.



Rande mysterium, B.P. Filius Dei, qui est omnia, & per quem facta sunt omnia, vt Diuinitas grandescat in nobis, penè totus exinanitur in nihil. Vt bonis impleantur exinaniti Dei: Cælum luce, aræ vestibus, templa, solia, omnia denudantur. Et nos, vt nudo ditemur Deo, è corde, quidquid Deus non est, imò cor ipsum non proijciemus in lacrymas? Ite prædatrices lacrymæ, quà fluit sanguis, effluite. Vt ditemur, hodiernis in tenebris furari licet: nam latro Cælum rapit. Signate viam ad furta: vos sequor. Primum iter in cœnaculum est. Eucharistiam instituit. Iacta est alea: vnico iactu super mensam decoxit omnia Deus, qui, vt non semel pro nobis totus periret, vsque ad consummationem seculi voluit hoc Sacramento consumi. In montem pergit Oliuarum, vt ibi, sicut oleum effusum, prodigè imò prodigiosè nostram exudet in salutem. Diuellitur à suis, vt adhæreat cordi pœna pec-

Ioan. c. 1.

Matt. 28. 20.

Cant. 1. 2.

cati non ſui. Adhæret peccator carnifex, ſed
Ex AElian. l.14.c.13. morſu colubri ſanguinolenti: propinat hic in
horto voluptatis non poma, ſed vulnera, fe-
rit, lancinat. Chriſtus verò deuoluto in mar-
tyres ſibi debito gaudio, delibat mortem, tri-
ſtatur, pauet; & delicijs diuitijſque beatita-
tis ſanguinis in mare proiectis, dum facie ter-
ram oppetit, littus arripit curis naufragus &
cruore. Prædæ inhians Iudas adeſt in littore.
Abi hinc non mercator, ſed prædator. Bo-
na naufragorum rapere ſcelus eſt, anathema
eſt tibi poſt raptam buccellam in cœna Do-
mini fulminatum. Anathemate percuſſus
proijce faces. Quid ades latro infidelis cum
Pſal.140.5. facibus & laternis oleo pinguibus peccato-
2 Petri. 1. 19. rum? Lucerna Fidei quæritur Deus, & lam-
Cant. 8.6. padibus Caritatis: tu verò lampades tuas, ha-
litu peſtilenti dum Dominum oſcularis, ex-
tinguis: eiuſdemque os, vitæ oſtium, oſculo &
labro claudis impuro. Clauſa eſt vitæ ianua.
Luc.1.78. Morere Iuda, morere: & effunde viſcera, qui
Dei miſericordiæ viſcera effuſa in nos immiſe-
ricordi complexu, velut obiecto proditionis
Dan.7.10. aggere, continuiſti. Sed frangit aggeres flu-
uius amoris igneus rapiduſque, qui egreditur
a facie

à facie Chriſti. Hoſtem amicum vocat, ruit vltro in mortem, ſatellites quærit, beneficijs illaqueat, lapſos erigit: & tamen ab ijs, quos erigit, opprimitur, ligatur, raptatur ad Iudices. Mea, Ieſu, libertas quò raperis? deſertus à tuis iam paulatim te ipſum deſeres. Ecquid tam tuum, quàm tu, quàm tua maieſtas diuini non hoſpita vultus, ſed inquilina? hanc tamen Caiphæ pones in domo, quæ Regia dedecorum eſt. En irruit ferreus miles, qui maieſtatem arietatam ferrata manu tuo deturbat è vultu. Hac inuitati manu ſacrilega, quæ elata in colaphum facem extulit feris & furijs, irrumpunt efferati milites ad ſacrilegia. Nazareno coma peruellitur, non fortitudo. Iud. 16. 19. Facies ab æterno Parente poſita, vt adamas, Ezec. 3. 9. ſcelere pluſquam palmari pugno teritur & palma: liuoreque dum maculatur, noſtræ maculas infamiæ prorſus obliterat. Deo velantur oculi ad ignominiam, qui ſuæ gloriæ currum totum implet oculis in circuitu: nimirum Ezec. 1. 18. quia cœca malitia eſt, etiam Solem, Cæli oculum ſuorum ſcelerum teſtem, ſi poſſet, erueret. Conſpuuntur ora: fluctus feri maris impij ſunt deſpumantes ſuas confuſiones. Iudæ 13.

Vtinam

Iob.38.11. Vtinam ſaltem huc vſque confringerent tumentes fluctus ſuos. Ad Pilatum rapiunt: inde trahunt ad Herodem: in alba, hoc eſt ſuo Agnus in vellere ab Herode deluditur, apud quem candor & caſtimonia ſemper fuerat nota dedecoris & ſtultitiæ. Deperdita maieſtate, Innocentiæ fama & Sapientiæ impietatis in domo, quid denique reſtat, bone Ieſu, quod amittas, niſi ſanguis & vita? Vt hanc amoris prodigus & cruoris effundat, ad Pilatum redit. Sui ardoris impatiens cælitum atque hominum Amor expoliatur, qui

Coloſ. 2. 15. Principatus & Poteſtates, qui mortem ipſam

2.Tim.2.9. morte fortior expoliat. Verbum Dei non eſt alligatum: ligatur tamen ad columnam, vt eius ego vincula non abijciam. Iam flagrat, lætuſque ſalit ſanguis in venis, vt in me totus è venis exiliat. Siſtite lictores: quid vltro currentem flagris extimulatis? Me miſerum! ad hæc cruenta Nili catadupa ſurda crudelitas

Ex Sen. l. 4. nat.q. eſt. Menſura Nili creſcentis columna erat in littore. Creuere ad columnam aquæ: iam parta Ægypto fæcunditas eſt. Siſtite. Pergunt nocui laniſtæ lacteam innocentiam cruentare: pergit nudus amor ad columnæ lapidem

dem omnia dilapidare. Exonerata iam viribus & Sanguine Christi Humanitas est Diuinitatis domus: & tamen ruit! quo pondere? Caritatis, quæ Deum potuit sola prosternere. Et totus hac ruina Mundus non ruit? ruisset, nisi Christi ruina Mundi fuisset erectio. Inspice, si potes ò Homo iacentem Deum. Fugit oculos, vix apparet: vidimus, & non erat aspectus. Huc ille decreuit gigas, vitæ nostræ cursor & viæ. Metire: vermiculus est, qui vno sui casus impetu scelera, voluptates, hostes interfecit innumeros. Erige te virorum fortissime: si te columna non fulcit, fulciet arundo: hæc namque inanis & vacua Dei omnibus euacuati fulcrum & sceptrum est. At quæ cum hoc sceptro corona componitur? è spinis! reuellaris è Christi capite ingrata spina: meliùs in arundineto quàm in spineto diuini cruoris scintillæ discurrent. Coronauit te olim in Rubo purpura flammarum Deus non absumpsit: tu verò purpuream sanguine Deo coronam implicas, vt absumas? Steril's es & rapax, & eius indigna vertice, qui dedit omnia, non rapuit. Vt rea igitur, non regina, meritò pulsaris arundine. Quam-

Isaiæ 53.2.
Psal. 18.6.
2. Reg. 23. 8.
Sap. 3.7.
Exod. 3.2.

quam

quam tu quoque grauis arundo es, quæ ſpinea ſerta dum verberas, vulnera Christo grauas & aſperas, & dum hominum vanita-
Pſal. 2. 9. tem, tanquam vas figuli, eius in fronte confringis, ferream ſolidaris in virgam. Pone arundinem, Rex dolorum: Crucem ample-
Pſal. 44. 5. ctere: in montem procede, & regna: regnabis ſi diuini corporis ærario prorſus exhauſto,
Alex. ab Alex l. 6. c. 26. regnum ſanguine comparabis. Veteres olim Luſitani reſectas ſeruorum manus Dijs vt victimas immolabant.
Philip. 2. 7. Accepta forma ſerui dediſti omnia: præbe nunc manus Crucis in ara quibus omnia dediſti. Horreſco referens.
Ier. 50. 23. Malleus Dæmon vniuerſæ terræ malleatores extimulat. Clauos hi Domini figunt in manibus, tundunt, feriunt, referiunt, terebrant. O dolor! ò ſpectaculum! ò manus! è quibus cataractæ Cæli apertæ ſunt, vt in arca naufraga diuini corporis diluuio beneficiorum attollatur Mundus in Cælum. Tu tamen, Domine, dum hoc diluuio nos alluis, torrentis inſtar in æſtu Caritatis areſcis, & ſitis. Verùm ecce iterum exinanito Deo inanis offertur arundo cum ſpongia, quæ, quidquid liquoris hauſerit, preſſa exprimit, & ſiccatur.

Om-

Omnibus cõfectus ærumnis, & ipsa quoque Parente Virgine in cor Ioannis expressa, vnum superest, quod dissoluas & dissipes, vt nos sceleribus dissipatos tuo coniungas in corde. Ecquid illud est? Obstupescite Cæli super hoc, & tenebris exhorrescite. Audeo dicere: tua Christe vita est; tu ipse. Vt igitur ego sim, Christus non erit? non erit. Et inclinato capite tradidit spiritum. Exinanitum vnguentum est: lapides Sanctuarij dispersi vas aureum, admirabile, opus Excelsi in operibus ardoris sicut cera liquatum: denique Deus homo deletus a facie terræ, ne tu homo euersor Dei delearis a facie Cæli. Grande donum: impone lanci: mille mundos appone. Christi nihilum exinaniti Mundis præponderat infinitis. Si gratus es, redde, quod potes: reddes, si pro eo te totum impendes, qui vt sua dona perpetuaret in te, nihil sibi reliquit, imò nec SE.

Iere. 2. 12.
Ioa. 19. 30.
Cant. 1. ex lec. Ambr. l. 3. de Vir.
Thren. 4.
Eccli. 43. 2.
Genes. 6. 7.

FINIS.

Omnibus cõfeſſus exortus, & ipſi quoque Parente Virgine in cor[illegible] ſcantur expers ſui, verum ſuperest, quod ſtupeas & [illegible], vt [illegible] in cor-de. Ecquid illud eſt? O ſtupeſcite Cæli ſuper hoc, & tenebris exhorreſcite. Audeo dicere: nec Christe vita eſt; [illegible] ipſe. Vt igitur ego ſum, Christus non erit: mors erit. Et inclinato capite tradidit ſpiritum. Exinanitum vnguentum eſt: lapides Sanctuarij diſperſi vas aureum, admirabile, opus Excelſi in operibus ardoris ſicut cera liquatum: denique Deus homo deletus a facie terræ, ne tu homo exterior Dei deleari a facie Cæli. Grande donatiũ: impone [illegible]ndos appone. Christi vnitatum exinaniti Mundis præponderare ſentis. Si gratus es, redde, quod potes: reddes, ſi pro eo te totum impendes, qui vt ſua dona perpetuaret in te, nihil ſibi reliquit, immó nec SE.

Ierem. 2.12.

Ioa. 19.30.

Cant. 1. ex lec. Ambr. l. de Vir.

Thren. 4.

Eccli. 43. 2.

Gen. 6.7.

FINIS.